ad me? Cur venis ad me qui peccatum non habes? Ille enim baptizan-
dus est a me qui peccatum habet. Qui autem peccatum non fecit, lavacrum
penitentiae cur requirat? Sine inquit modo. Hoc est dum ecclesia edificetur,
decet nos implere omnem iusticiam. Quae est iusticia nisi misericor-
dia? Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in saeculum saeculi.
Dedit mihi pauperi, dedit mihi inopi gratiam quam ante non habui. Iusti-
cia eius ergo manet in eternum. Quae est iusticia, nisi ut quod alterum facere
velis prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo. Quae est
iusticia, nisi ut quia carnem suscepit, non quasi deus sensum aut ministerium
carnis excluderet, sed quasi homo carnem vinceret, ut vincere
me doceret. Docuit enim qua ratione possim terrenis exercitatam vitiis
obnoxiae carnis illuviem sepelire criminibus, renovare virtu-
tibus. Vere divinam in ipsa humilitate domini perspicientiam. Quanto
enim abiectior humilitas, tanto divinior providentia. Iniu-
riarum suarum acerbitate deus prodidit, et remediorum suorum usu quia
nullis remediis indigeret deus probatur. Ea enim tam divinum ad
ipsos provocandos, quod ut nemo refu[...]giat lavacrum gratiae,
quando Christus lavacrum penitentiae non re[...]fugit. Nemo se
dicat exortem esse peccati, quando Christus venit ad remedium pec-
catorum. Si pro nobis Christus lavit, immo nos in corpore suo lavit, quan-
to magis nos nostra delicta lavare debemus? Quo ergo magis ope-
re quam magis mysterio deus, quamquam deus in omnibus, quam hoc probatur, quan-
do per totum mundum quo generis humani editio diffunditur per sepa-
ratarum divortia tellurisque regionum, uno momento in uno cor-
pore deus fraude vetusti erroris abolevit, gratiam regni caelestis
effudit. Unus enim mersit, sed levavit omnes. Unus descendit, ut
ascenderemus omnes. Unus omnium peccata suscepit, ut in illo
omnium peccata morerentur. Purificate ergo vos ut apostolus dicit, quia
purificavit se ille pro nobis qui purificatione non eguit. Haec de nobis;
nunc consideremus mysterium trinitatis. Unum dominum dicimus, sed

Lizenz: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 66 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/de/sbe/0166/66)